



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De Canone ac forma missarum, quæ apud sanctum Dionysium &
Chrysostomum reperitur 105

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

At quis tandem hunc nobis Canonem composuit? quis ad eum nos alligauit? quis ipsum recitare nobis præcepit? quis ex numero S. Patrum? quod Concilium? quæ Ecclesia? Annon precioso sanguine Christi liberati sumus ab omnibus elementis huius mundi, ab omnibus omnium hominum dictis & factis, quatenus ea ad ministerium Christi nobis nõ inferuiunt? Annon per Dominum nostrum Iesum Christum Domini facti sumus omnium rerum, vt eis ad efficacissimum fidei in ipsum pro- uectum utamur? Annon debemus totum Euangelium, omnia mysteria Christi & salutis nostræ fidelibus eius quàm apertissimè & simplicissi- mè proponere? Annon velum adytorum scissum est? nunquid non um- bra veteris testamenti discussa est, lux verò noui exorta? in quo sicut Christus a apostolis suis, omnia quæ à Patre audierat patefecit, ita & A- postoli Ecclesiis omne consilium Dei plenissimè reuelarunt, omniæque mysteria Domini nostri Iesu Christi fidelissimè & absolutissimè annũ- ciarunt, & in lucem prodiderunt. Quare igitur nos ipsos rursus in um- bram ac tenebras, miseramque & egenam elementorum huius mundi, & humanorum figmentorum seruitutem seducere ac præcipitare velle- mus? Legimus in tertio & septimo Concilio Carthaginensi & in tertio Toletano, quod tunc temporis non vniusmodi preces in Canone in omnibus Ecclesiis usurpatæ fuerint: quòdque Concilia ista, quoad Canonem & alias id genus Ecclesiasticas preces amplius non requirant, quàm ne quisquam talibus orationibus utatur, quæ aliquid in se habeat contra fidem, sed quæ à prudentioribus Episcopis composita sint, ac deinceps à Concilio confirmatæ. Imò in Concilio Toletano ordinatum est, vt Episcopus sicut preces, ita & hymnos, qui componuntur, nullos reiiciat, subaudi, quatenus cum scriptura non pugnant.

Iam verò omnium Ecclesiarum Christi, quæ ab initio fuerunt, & ad- huc sunt, vnum & idem ius est. Cum igitur adeo verum sit, vt à nemine negari possit, quod verba Canonis, quem aduersarij propugnant, maior pars etiam ipsorum missatorum taceo populi, vel omnino non, vel pau- cissimis pauciores non impiè & scandalosè intelligunt. Quare non que- libet Ecclesia in tali casu libertate Christiana uteretur, & istum non in- tellectum ac scandalosum Canonem prætermitteret, in eius verò locum alias preces substitueret, quæ à fidelibus omnibus ad ædificationẽ quam optimè intelligi possent.

De Canone ac forma Missæ, quæ apud S. Dionysium, & alios Pa- tres inuenitur.

CAP. CV.



ADVERSARI præter alios antiquos etiam S. Dionysium citant, ac dicunt, Canonem suum formæ S. Officij, quæ apud eundem Dionysium, aliòsque Patres reperitur, consentaneum esse, at- que idcirco tam vetustum, quam est ipsa Ecclesia Christi. Ab apostolo-

Y

rum enim temporibus in Ecclesia Christi obseruatum esse aiunt. Vt ut manifestè videas, Christiane Lector, quod hoc à veritate alienum sit, nihilque à forma & modo precationum, ac celebrationis S. Cœnæ veterum magis diuersum & alienum esse, operè pretium nos facturos arbitror, si formam S. Dionysij, & aliorum antiquorum hoc loco adscribamus, quæ sic se habet. Lege cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia.

- 1 Primum Pontifex supra sacrosanctum altare orat.
- 2 Oratione peracta, ab altari incensum adolere incipiens phanum circuit.
- 3 Demum ad altare rediens, Psalmorum incipit melos, concinente secum sacra carmina vniuersa Ecclesia.
- 4 Deinde S. Scripturarum lectio recitatur per ministros, intellige Diaconos & subdiaconos, quos illo nomine *τῶν λειτουργῶν* significat, ut habent Græca scholia in hunc librum.
- 5 Post sacram lectionem Catechumeni fidei discipuli, & vitæ laucro nondum initiati, item Energumeni, qui à fœdis potestatibus, immundisque spiritibus aguntur: & ij quoque qui in pœnitentia sunt, extra templum aguntur: manent autem intus soli, qui diuina spectare, atque percipere idonei sunt, intellige Sacramenta.
- 6 Porro ministrorum quidam clausis templi foribus astant, alij verò quisque quod suum est officium peragunt.
- 7 Ministrorum præcipui cum Sacerdotibus sanctum panem & benedictionis calicem sancto altari imponunt.
- 8 Omnium Catholica laus, & symboli fidei confessio canitur.
- 9 Post hæc venerandus antistes sanctam orationem per agit, & sanctam pacem omnibus nunciat.
- 10 Postmodum se mutuo omnes salutant.
- 12 Mystica deinde nominum piorum sanctorum recitatio fit.
- 13 Et Pontifex ad medium assistit altaris: eumque sacerdotes, & selecti ministrorum aliqui circumstant.
- 14 Tunc Pontifex diuina opera laude prosequitur, intellige opera nostræ redemptionis & restitutionis.
- 15 Quo factò diuina munera consecrat, intellige sacramenta, ea laudat, & venerandis operat & abdita signis in conspectum producit.
- 16 Cùmque diuinorum beneficiorum munera ostendit, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos ut communicent hortatur.
- 17 Sumpta demum atque omnibus tradita communionem diuinam gratias agens, finem sanctis mysteriis imponit.

Hæc est forma S. Cœnæ, quam S. Dionysius conscriptam reliquit, suoque tempore Ecclesia obseruabat.

Consimilis forma reperitur apud D. Chrysostrum, & alios S. Patres. Et quoniam Diuus Chrysostrum Homilia 18. in 2. ad Corinthios inter cetera verba formam quoque sacræ Cœnæ, quæ suo tempore in usu erat, maxima ex parte & præcipuas eius partes descripsit, non videtur incommodum si quod ibi scriptum habetur, in hunc quoque locum trāsferatur, ut possit Christianus Lector utrâque formam, nempe quam Christiana Reformatio proponit, & pro qua Aduersarij pugnant,

pugnant, cum hac veteri forma Ecclesiæ conferre, tantoque postea felicius suam de illis sententiam pronunciare.

*Forma administrationis S. Cœnæ usurpata temporibus D. Chryso-
stomi, & ab eodem conscripta. Homilia XVIII. in se-
cundam Epistolam ad Corinthios.*

CAP. CVI.

Hic autem ubi nihil differt Sacerdos à Subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim omnes, ut illa percipiamus digni habemur: Nam sicut in veteri lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos. Sed nunc non sic, verum omnibus vnum corpus proponitur, & poculum vnum. Quin & in precibus, Viderit quis populum multum simul offerre, cum pro Energumenis, tum pro pœnitentibus: communes enim preces à Sacerdote, & ab illis fiunt, & omnes vnâ dicunt orationem, orationem misericordia plenam.

Iterum ubi excluderimus à Sacerdotalibus ambitibus eos, qui non possunt esse participes sanctæ mensæ, alia faciendâ oratio, & omnes similiter super terram iacemus, & omnes similiter surgimus, quando iterum pax communicanda, omnes similiter salutamus.

In iisdem iterum horrendissimis mysteriis benè precatur Sacerdos populo, & benè precatur populus Sacerdoti. Nam cum spiritu tuo, nihil aliud est quàm hoc, Ea quæ sunt Eucharistiæ, hoc est, gratiarum actionis communia sunt omnia: neque enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus. Prius enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis, ut dignè & iustè hoc fiat, incipit Eucharistiâ.

Et quid miraris, si cum Sacerdote populus loquitur? ubi sanè & cum illis Cherubim, & supernis potestatibus communiter sanctos illos hymnos personant.

Hæc est forma Missarum, quæ tēporibus Chryso-stomi obseruata fuit: cum qua per omnia concordat, quicquid indicij Latinarum formarū reperitur in scriptis S. Patrum, Cypriani, Hieronymi, Augustini, Gregorij. In hoc officio omnia cum fidei populo, & ad ædificantem eius intellectum, non peregrina lingua, ut nunc, peragebantur. Consimiliter in vna congregatione non plura, quàm vnum Officiū eodem tempore administrabantur, de eoque semper aliqui saltem, & ambo Sacramenta percipiebant. Tota verò offerendi ratio in eo posita erat.

Quod fideles dona sua, ac munera pro pauperibus eò adferebant, Dominoque per Sacerdotem offerbant, hoc est, in honorem eius continebant, vnâ cum oratione & gratiarum actione, gratæque sacrificij Domini nostri Iesu Christi, semel in cruce oblatis, annūciatione & cōmémoratione: quo fides in Christū Dominū nostrū in omnium animis cōfirmaretur, & p̄ dilectionē ad omnia bona opa efficacior rediretur. nemōq;